229

K

48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

Kw
229 K 48.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

232/57

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

JOHANNIS STIPHOUTII, FIL:

ORATIO.

DE

VIRTUTE BATAVICA,

ALLOCUTIO

AD MILITES BATAVOS,

Cum Gallis, & Britannis,

pro Aris, & Libertate bellaturos.



LUGDUNI-BATAVORUM,

SUB SCUTO ACADEMIÆ. MDCLXVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

VIRO.

Pietate, & Eruditione conſpicuo,

D.D. JOHANNI STIPHOUTIO,

Paſtori in vico AGRI HERCULANI *Gorcomio* vicino, (vulgò *Schelluynen*,) & Cameræ Bipartitæ, quæ eſt *Mechliniæ*, à conſiliis, & concionibus Sacris; Parenti honorando, ſtudiorum meorum MÆCENATI unico, liberaliſſimoque.

NEC NON

Ingenioſiſſimis, & eximiis tam Nobiliſſimis, quam Ornatiſſimis Juvenibus, Bataviæ *noſtræ Luminibus progenitis,*

D. GUILIELMO AB EGMOND A NYENBURCH, Alcmaria-Batavo.
D. GODARDO A REEDE, Rheni-Trajectino.
D. ALBERTO MEERMAN, Lugduno-Batavo.
D. THEODORO VANDER MEYDEN, Gorcomio-Batavo.
D. ARNOLDO DUIRCANT, Haga-Batavo.
D. LUCÆ VAN RYP, Lugduno-Batavo.
D. ADRIANO POLLIO, Amſtela-Batavo.

Litt: his & I.U. *Phil:* illis, & *Med:* Studioſis ſtudioſiſſimis, in illuſtri *Lucæo Batavo* commilitionibus ſuaviſſimis, amicis amiciſſimis.

ROmanos *olim*, *Reverende Genitor*, Romanos, *inquam*, *Juvenes Ampliſſimi*, *Ornatiſſimi*, Bataviæ *noſtræ Luminibus progeniti, ineuntibus annis Sirenas ſuas, velut obſequii, amoris, & benevolentiæ teſſeras*, *Equiteſque* Auguſto Cæſari *in Capitolio ſua obtuliſſe donaria*, *in ſcriptis rettulit* Antiquitas. *Ea conſuetudo in noſtra quoque dimanavit tempora. Apud* Germanos *Subjecti Principibus*, *Principes* Imperatori *ſuo munera ferunt.* *In* Italia, *ut jam inclyta in* Batavia *noſtra*, *inferioribus ſolenne eſt ſuperioribus hoc pacto gratificari. Sic etiam vobis eâ*, *quâ fas eſt obſequii Gloria* Muſas *meas* (*utinam*, *quid grandius! quod nunc haud meum eſt*) *offerre geſtio. Illud autem quod in me eſt literarium*, *&* levidenſe *potius quam* Lugdunenſe *munuſculum*, Bataviam *ſcilicet univerſam*, *rudi à me chartaceo in hoc munere congeſtam*, *ad Aras veſtras libens*, *meritoque ſuſpendo*; *ubi adolevero fortaſſis*, *& in virum crevero*, *daturus capiti Coronas*, *meritis proculdubio veſtris longe inferiores. Vale pietate*, *eruditione*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

& moribus Ornatiſſime Genitor, à quo, cum ab eloquentia non poſſum, ſcriptis noſtris præſidium aliquod quærendum eſſe duxi. Valete lucida Sæculi *noſtri,* Eccleſiæ, *&* Reipub: *olim futura Sidera, reſpicite æquitate veſtra quod adeſt, ſupplete benevolentia quod deeſt, & multos annos in generoſiſſimi veſtri Stemmatis Gloriam,* Bataviæ *ſalutem, & Civium ſolamen,*

——— Occulto velut arbor Ævo,

accreſcite, & me amare pergite. Sic inter hæc ingentia, horrida, cruenta Bellonæ *fulmina,* Galliarum *minas, &* Britannorum *furias, ſcribere geſtiebam* Lugduni *in* Batavis, *ipſis Nonis Maij.* MDCLXXII.

Ornatiſſimis nominibus veſtris

addictiſſimus

JOH: STIPHOUTIUS, FIL:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

RECTOR ACADEMIÆ LUGD:-BAT: MAGNIFICE. ILLUSTRES UNIVERSITATIS CURATORES. REIPUB: LUGDUNENSIS PATRES CONSCRIPTI, QUIQUE IIS ESTIS A CONSILIIS ET SECRETIS. CL. PROFESSORES. ECCLESIASTÆ REVERENDI. INTER QUOS TU, MEARUM GRANDE DECUS COLUMENQUE RERUM. THEOLOGI, JURISCONSULTI, MEDICI. ET QUOTQUOT HIC ADESTIS, MAGNANIMI MILITES, QUIBUS INTEGER ÆVI SANGUIS ADEST. ORNATISSIMA DENIQUE MINERVÆ VEL MARTI CONSECRATA JUVENUM CORONA.

VIrtutis Batavæ, Magnanimi Milites, non infima laus eſt Gloria, in cujus faſtigio Patriam noſtram collocatam cernimus. Et ut Patria ipſa Gloriæ avida, ſic mihi glorioſum duco de ejus origine tanquam paternæ Gloriæ fulcimento, hodierno hoc ipſo die, ad vos verba facere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

cere. Etenim qui de Patria benè meritis honos tribuitur, & illis partim competit, quibus nihil æquè in votis eſt ac de Patria benè mereri, qui conatus humani generis, Gloriæ appetitus, maxima ingenia ad maximè laudabilia peragenda cogit; ejus in ipſa pueritia micantes ſcintillulæ minora etiam ad majus aliquid præſtandum ſolent incitare. Quidquid in me virium eſt à cunabulis devotum Patriæ, cujus Salus mihi ſuprema lex eſt; ac dum Ætas me reddit imparem Gloriæ ejus augendæ, ſufficiet eam non ſupprimere, & quamvis juvenis, rerum ignarus, & dicendi imperitus, tentabo tamen

Quid valeant humeri, quid ferre recuſent.

Certo confidens me habiturum auditores vos faventes, dum de Batavica per Virtutem creſcente Gloria celeberrimam vobis Batavorum originem exponam; Quæ ex parvis initiis eo magnitudinis excrevit, ut cum Regibus hodie & Terrarum Dominis de Imperii Gloria feliciter contendat: Neque poſt incunabula Æviternæ Urbis aliam facilè Gentem ſcriptores recordantur, quæ brevi tempore ex pulvere quaſi, & tenebris, quibus ſubmerſa erat priſca Reipublicæ facies, ad eam repente felicitatis Gloriam eluctata ſit, ut jugi neſcia ac ſervitutis; poſt tot urbes devictas & prælia, hoſtem formidabilem, non tam provocârit ipſa, quam de ſanguine ejus, ac fortunis,

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

continua ſerie, tot jam annos (Auriacô laborante) Triumphos egerit, & Libertatis nomen recuperâvit. Sed nos præclara tot Parentum facinora in decus ac ſplendorem Patriæ enumeraturi, ad Sæculorum aliquot memorias feliciter ſimul evagamur; quæque de Virtute Batavica, Gentium quotquot ſunt annales prodidere.

Batavi igitur, libera Gens, lectiſſimorum olim equitum genetrix, militiæ magiſtra, populo Romano non tributaria, ſed ſocia atque amica; nunc Gallis, nunc Britannis inviſa; è Germanis oriundi, (1) Cattorum olim fuere progenies: qui ſuorum ut Fama eſt, injuriis Patriâ exules, duce Batone Regis filio, in eas ſedes migrârunt, quas etiamnum Poſteri habent. Ubi novâ mox conditâ Repub. & urbibus, quæ Genti cognomines, alibi extructis, qualia in hunc diem vetuſta manent nomina (2) Batoburgum; & inter alia (3) Batavodurum, urbs populoſa

(1) *Catti*] Populi Germaniæ (hodie Heſſi) à Druſio Livio perdomiti; anno ab urbe condita 731. *vid. Tac.*

(2) *Batoburgum*] Vetuſta Arx ad Moſæ ripam, à Batavis in memoriam genitalis ſoli, & cognominis Caſtelli condita; tum ſupra illam Catvicum in Comitatu Cucenſi, Batavorum terminus. Præter hoc Catvicum, Cattorum ſunt vici duo, ad mare unus, & alter Rhenoburgo vicinior, intra Bataviæ limites. Eſt denique etiam in Zelandia Catzium oppidum, quod ante annos aliquot inundatione maris periit, & turrim adhuc è fluctibus eminentem ac oppidi memoriam tuentem oſtentat.

(3) *Batavodurum*] Batavorum oppidum, ad Rheni ripam, inter Colonienſem, & Ultrajectenſem urbes Epiſcopales ſitum, (vulgò Wijck te Duirſtede.)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

puloſa quondam, & ſi fidem porro annales merentur, vaſto mænium ambitu circumdata, celebre inde Batavorum nomen non vicinis tantum in Galliis, ſed per Italiam quoque & remotiſſimas provincias eſſe cepit. Cum enim præter eruditionem, ac literarum decus, armorum ad hæc Gloria ſuperſit, quâ ad Famam graſſari mortalibus datum eſt; Batavi rudes ingenio, & craſſi, neglectâ Veterum eloquentiâ, per arma & militarem induſtriam, robur, & decus naſcentis Imperii intenderunt. Hinc conſuetudo apud illos legis inſtar diu obtinuit, ut quæ ab agris colendis juventus vacaret, militiæ à teneris aſſueſſeret. Neque quod reliquæ Gentes, finitimorum imbuti moribus ac corrupti, in omnem corporis pariter, atque animi prolabebantur mollitiem; ſed veteris inſtituti, atque indolis tenaciſſimi, laboribus ſtudebant à parvulis. Equitatu verò omnium maximè celebres fuere; quo etiam militiæ genere, quod Germanos omnes ſuperârint, elogia teſtantur, quibus poſtea inclaruere. Ea quoque ſæva licet hyeme, inter illos fuit natandi peritia, ut rapidiſſimos levi de cauſa in armis, & equis tranatârint fluvios. Erat præterea fides in illis, quæ ut nullo dolo pervia, ita religioſior quoque nuſquam ſpectari poterat aut major, quam cum in Bello ac in Pace æque ſanctiſſimam colerent, omnium illico amici-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

amicitias & ſocietatem meruêre. Scilicet hæc illis præſidia, quibus benevolentiam apud Principes ſancivêre, & ſtabilem ſui fiduciam illorum temporum Tyrannis fecêre. Per hæc vulgò ſibi Gloriam immortalem comparârunt, & quæ ex iis naſcitura progenies, per ea Æternitatis nomen adepta eſt. Sed ubi

Orbem jam totum Victor Romanus haberet

Quà mare, quà tellus, quà ſydus currit utrumque,

& Reges ipſos inſtrumenta ſervitutis, in Batavos quoque, ſtabilitis nec dum rebus, eadem, quæ in reliquos, Imperii reverentia facile tranſiit: ſed ut omnium *illi* Gentium Virtute præcipui, non ſocietatis tantum, qualè & alii, ſed fraternitatis quoque nomina & inſignia impetrârunt: Quò quidem nihil auguſtius offerre Romana Reſpub: nihil ad decus ac ſplendorem illuſtrius noſtri expectare poterant. Primus eorum nomen apud Romanos Julius Cæſar prodidiſſe videtur; quamvis ſub Lucio patre, (4) Achajæ tum procunſule, Mithridatitico bello una cum Inacho, (5) Tungrorum Regis filio,

(4) *Achaja*] Regio Peloponneſi, quæ nunc Morea. Vocatur & Jonia Ægialos à *Pauſ*: & *Plin:* Danaam quoque dictam tradit *Herod:* à Danao Archivorum Rege, unde Græci Achæi, Achivi, & Danai appellati.

(5) *Tungri*] Belgarum populi, qui cis Rhenum & Moſam inter Eburones numerantur. Oppidum eſt nomen retinens, olim civitas epiſcopalis. Hujus ſedes poſtea fuit ad Leodinenſem urbem tranſlata, uſque ad cujus mœnia, ut plerique volunt, Oceanus protendebatur, cujus rei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

lio, militaſſe Batavas cohortes ſcriptores meminêre. Cæterum, ſub Julio demum potiſſima eorum Virtus ac fortitudo eluxit; qui adverſus Galliam, tum conjuratam, arma ducturus, equites Batavos in auxilium vocâſſe ſcriptum ipſe reliquit, & tantam de iis concepiſſe fiduciam, ut apud milites aciem detrectantes dicere auſus ſit & gloriari, ſi ægrè ſequerentur, ſola cum Batavorum manu in hoſtes ſe iturum. Enimverò ad (6) Noviodunum, prælio jam calente, cum laborarent ſui, & Victorem hoſtem viderentur admiſſuri, confertis turmis ſubvenêre illicò Batavi equites, opem reliquis & ſalutem tulere; quorum cùm diutius impetum ſuſtinere non poſſent Galli, multis ſuorum obtruncatis, prælio ſimul & exitio fugâ ſe exemêre. Tanti ea momenti fuit Victoria (Batavis totam deberi ſcriptores fatentur) ut nec diſſimulârit ejus diëi Fortunam Cæſar, nec quæ Virtute Batavis quæſita; ubi & corporis cuſtodiam iis commiſit, & bellorum ommium facinorumq; prima auſpicia penes eos fuêre: adeo quidem ut nullâ poſtmodum fuerit gaviſus

Victo-

rei quædam illic vetuſta adhuc monumenta videntur: Illic dicitur eſſe fons inſignis, pluribus bullis ſtillans ferruginei ſaporis: hic corpora purgat: tertianas febres diſcutit, & calculorum vitia. Eadem aqua igne admoto turbida fit, at poſtremum rubeſcit. *Plin. lib.* 3. *cap.* 2. Fontem hunc *Savenier* & *Boullon* vocant accolæ.

(6) *Noviodunum*] Galliæ Belgicæ oppidum, vulgò *Noyon.*

(7) *Epi-*

Victoriâ, quales in Britannia & alibi ſplendidiſſimas vidit, niſi Batavorum Virtute obtenta. Civile poſthæc inter Cæſarem & Pompejum bellum cœpit, in quo Batavos ubique Cæſarem habuiſſe in ſcriptis rettulit Antiquitas. In Hiſpania contra legatos Pompeji, Afratum & Petrejum, cum Batavo equitatu feliciter ſæpè pugnavit, & Victor in (7) Epirum profectus ad (8) Dyrrachium Pompejum obſedit, Batavis Victoriam ferentibus. (9) Theſſaliâ mox cum iiſdem peragratâ, cum Pompejo ultimò in (10) Philippicis conflixit campis; cujus prælii quo formidabilior exitus, eo Batavi Gloria majore potiti. Poſt hæc in Ægyptum cum exercitu traduxit, Ptolomæum inde Regem pulſurus: ubi in expeditione (11) Alexandrina demiſſioribus ripis equites Ba-

(7) *Epirus*] Regio Macedoniæ, quæ nunc Canina dicitur, ſeparatur à Macedonibus Celidno amne & Pindo monte.

(8) *Dyrrachium*] Olim Epidamnus, urbs Macedoniæ, diſtans à Brunduſio ccxx. M. paſſuum trajectu, vulgò Durazzo. Hanc urbem Cicero exilii ſui tempore amiciſſimam expertus eſt.

(9) *Theſſalia*] Regio Græciæ, ex una parte Bæotiam ex altera Macedoniam habens, varia adhuc habuit nomina, Emonia, Pelaſgia, Hellas, Driopis, ubi Patria & domus Naſonis.

(10) *Philippici campi*] Circa Philippos Theſſaliæ civitatis ſiti, in quibus Cæſar & Pompejus primò, deinde Auguſtus & Caſſius pugnarunt.

(11) *Alexandria*] Ægypti urbs, ab Alexandro poſtquam Ægyptum ſine labore obtinuiſſet condita, non longè à Nili oſtio. Varia habuit nomina, hodiè vulgò *Schanderia* à Turcis dicitur. Eſt etiam Alexandria urbs Aſiæ, ut & urbs Liguriæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

Bâtavos [12] Nilum tranatâſſe, apud autores maximè convenit. Nec in Hiſpania minùs preſto fuêre, cum Pompeji filium debellaturo Cæſari magnum ex Batavis Victoriæ momentum acceſſit. Cum iiſdem quoque Aſiaticum confecit bellum, & ad [13] Geticum mox perrecturus ac [14] Parthicum Batavos in [15] Macedoniam præmiſit. Sed cùm ille Romæ interea tribus & viginti vulneribus miſerè eſſet confoſſus, & Marco ſtatim Antonio exercitus præfectura à Senatu legaretur, non ingloriam eorum expertus fuit militiam; uſque dum rebus ultro citroque variè diu & anticipiti Marte geſtis, in unum denuo cum Romanis ſub Octavio coaluerint

vel Lombardiæ quæ dicitur à *Propertio* Alexandrea. Porro eſt Alexandria ad Caucaſum montem ab Alexandro M. condita, & variæ ad huc fuere Alexandriæ, quæ curioſus lector ex *Cluvero* & *Bertii* orbis breviario poterit cognoſcere.

(12) *Nilus*] Ægypti fluvius à Nilo Rege ſic dictus, vel ut volunt alii à novo luto, quo totam feracem reddit Ægyptum. De quo vide *Voſſium* de Nilo.

(13) *Geticum*] Bellum à Getis, populo in Scytia Europea, geſtum. *Appianus* Dacos appellat. *Strabo* verò *lib.* 7. Getas à Dacis ita diſtinguit, ut Getæ ſint qui ad Pontum in Orientem vergunt; Daci qui in oppoſitum latus ſpectant verſus Germaniam. *Ælius Spartianus* Getas hodie Gottos eſſe ſcribit.

(14) *Parthicum bellum*] A Parthis pertinaciſſimis olim nominis Romani hoſtibus, qui Craſſum Inſidiis circumventum cum univerſo exercitu ad internecionem ceciderunt.

(15) *Macedonia*] Latiſſima Europæ Regio, duobus olim Regibus Philippo & Alexandro M. terræque Imperio clariſſima.

(16) *Pe-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

rint corpus, quem ad [16] Peruſiam ſecuti, poſtquam Lycium obſeſſum fortiter ibi expugnaſſent. Bellum interea ſecundum inter Octavium exarſit & Antonium. Ad quod gerendum Octavius cum in Græciam tenderet, Batavos, quorum innumera ſidei & Virtutis acceperat documenta, in corporis cuſtodiam hâc ipſa expeditione primus poſt Cæſarem aſcivit. Cujus poſtea exemplum ſecuti ad Severum uſque & Antonium Caracallam fuere Imperatores reliqui, qui omnes, ſuorum neglectâ curâ, Batavis cohortibus Regiam ſimul & ſalutem credidere. Celebris horum quoque militia in bello fuit Germanico, cum Auguſto imperante [17] Ubios Rheno traduceret Marcus Agrippa. Poſt hunc Tiberius ut in Imperio ſucceſſor, ita Batavorum quoque arma propitia expertus eſt & magni fecit; ſub quo præſertim Cariovaldæ Batavorum ducis fortiſſimi Virtus illuxit, Taciti elogio honorifico celebrata, qui Germanicis auſpiciis Batavos ductans in [18] Ceruſſos, (queis manifeſto fidei documento poſtremum agmen committebatur) poſtquam per inſidias hoſtium

(16) *Peruſia*] Hetruriæ civitas ab Achæis condita: à qua peruſinus, a, um. *Prop: Si Peruſina tibi patriæ ſunt nota ſepulchra.*

(17) *Ubii*] Germaniæ populi Rheni mœnique dextras tenuere ad Coloniam uſque, ab Oriente Cattis contermini.

(18) *Cheruſci*] Populi Germaniæ tranſ-Rhenani, quos Bacenis Sylva Germaniæ ingens à Suecis pro nativo muro dividit. *vid: Tac:*

ſtium fugam ſimulantium undique jam circumventus, diu ſuſtentatâ illorum ſævitiâ, ſuoſque hortatus ut ingruentes catervas globo frangerent, ipſe in denſiſſimam aciem ſe projiciens, ſuffoſſo equo, cum multis Nobilium non inultus cecidit. Claudio mox principatum obtinente, Plautus ſenator in Britanniam exercitum duxit, eâ Batavorum ope adjutus, ut ſubactæ Inſulæ Gloriam magnam ſibi vindicarint, quam

——— *Nec ventura ſilebunt*

Luſtra, nec ignota rapiet ſub nube vetuſtas,

& nono eadem poſt anno, eodem imperante, cum rebellaret, ad obſequium facile redacta fuerit, Batavis arma & ſuppetias ferentibus. Nec ſub Nerone eorum fuit Gloria minor, ſed geminâ quoque expeditione major facta & auguſtior. Nam & contra (19) Perſas in (20) Galatia & (21) Capadocia eorum Domitius Corbulo utebatur militiâ, & rebellantibus pòſt

(19) *Perſæ*] Populi Aſiæ majoris.

(20) *Galatia*] Aſiæ minoris Regio, (vulgò *Pera*) à Gallis dicta, qui relictâ Patriâ ibi ſedes fixêre, huſus incolæ Gallo-Græci appellantur, quòd ex Gallis ſimul & Græcis coaluerint.

(21) *Capadocia*] Aſiæ majoris Regio, quam *Ptolomeus* tabula Aſiæ prima deſcribit, & *Plin: lib. 6. cap.* 1. 2. 3. hodie Almaſia eſt, quæ & aliis Leuco-Syria dicitur. *Strabo* tradit Capadociam in duas Satrapias à Perſis diviſam, in eam ſcilicet, quam propriè Capadociam, & Capadociam ad Taurum, item magnam cognominarunt, & alteram, quam Pontum & Capadociam Ponticum dixêre.

(22) *He-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

pòſt hæc Gallis, ſub Virginio Rufo eos compeſcuit, [22]Heduoſque ſub hoc tempus &[23]Arvernos Batavo equite protritos in oratione ad populares Claudius gloriatur Civilis. Secuta mox bella civilia, quorum fermè omnis fortuna in Batavorum manu, qui prout inclinaſſent grande momentum ſociis aut adverſis erant. Hi Galbam erexêre & mox Vitellium; qui tamen beneficii parùm memor, cùm diſcidia quaſi ex Batavis expectaret, militari aſtu, Fabio Valente autore, removere eos ab exercitu & per provincias variè diſpergere conatur: & actum quoque fuiſſet, ni ſociæ cohortes (amore an metu victæ?) magno fremitu interceſſiſſent, quæ orbari ſe fortiſſimorum virorum auxilio indignantes, veteres illos & tot bellorum Victores, poſtquam in conſpectu eſſet hoſtis, abduci ex acie, ac veluti validiſſimos artus à corpore avelli non patiebantur: quo tumultu & clamore perterritus Valens, ut periculo gliſcenti ſe ſub-

(22) *Hedui*] Galliæ comatæ & quidem Celticæ populi Arvernis finitimi, poſt Helveticos & Cequanos in occaſum vergentes, juxta quos ex Alpibus fluit Araris, olim Romanorum fratres dicti, quorum hodie loca Burgundiones tenent, illorum caput Auguſtodunum erat. *Tacit: lib.* 3.

(23) *Arverni*] Galliæ comatæ & quidem Aquitaniæ populi, nunc *Auvergne*, qui cum ſe à Trojanis oriundos eſſe dicerent, audebant ſe Romanorum fratres appellare. A quibus illud vocabulum Averni (vulgò de Hel) nomen habet. Unde *Virg: Æn: lib.* 6. *& Luc: lib:* 6. *& Silic: lib:* 12.

(24) *Tici-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

ſubduceret, conſilium id poſtea diſſimulavit. In Othonianos interea exercitus ibat, quos ad (24) Ticinum commiſſâ pugnâ vicêre Batavi. (25) Mona verò Britanniæ inſula, quam infeliciter tentatam antea Romanus denuo oppugnabat, Batavis laborantibus in deditionem accepta fuit; quando non claſſe eam ingreſſi aut navibus, ſed patrio natandi ſtudio, quo ſe pariter & equos & arma regebant, difficultatem omnem ſuperantes, Victoriam Vitellio peperere & Imperium per illam. Sed cum ille ventre ac gula ſibi ipſe hoſtis curam Imperii atque exercitus negligenter haberet, luxuriæ adeo ſævitiæque deditus eſſet, ut non plenum rationis animal eſſe credas, ſed

Monſtrum horrendum ingens cui lumen ademptum,

dominationem adhæc minimè ferendam in liberas Gentes paſſim exerceret, ut prodigioſa Imperii mutatio exorta fuit, ita Batavis novandarum rerum occaſionem attulit. Cui tumultui indies gravies invaleſcenti invigilandum ratus Cl: Civilis, vir ingentis animi, & qui Regiâ inter ſuos ſtirpe ortus Regios quoque & pares ubique ſpiritus gerebat, quam magnâ Gloriâ Romanis hactenus præſtiterat

(24) *Ticinum*] Nobile Inſubrum oppidum, nunc Pavia, Gallis *Pavie.*
(25) *Mona*] Inſula inter Angliam & Hiberniam ſita; ut *Ptolemæus Cæſar & Plin*: eam deſcribunt ubi olim Druidum ſedes, *ut alibi Tac:*

(26) *Ca-*

terat militiam, pro Aris & Libertate, cujus utriuſque cauſa jam agebatur difficillima, exercendam eam etiam in Romanos, ut ingenii civis ita ſuarum quoque partium, exiſtimavit. Primoribus itaque Gentis & vulgi promptiſſimis, ſpecie epularum, ſacrum in nemus vocatis, ubi mero illos & lætitia incaluiſſe videt, à Laude Gloriaque Gentis orſus, injurias, raptus & cætera ſervitutis mala enumerat; quæ cum Batavis, tanta ubique Virtute jam celeberrimis, intuliſſe iniquum ſit, exemtos illos omni ſacramento, in armis ſpem Libertatis quærendam hortatur, neque ſucceſſum cœptui defuturum, cùm & Deorum favor adeſſet, & Fortuna ubique blandiens Victricem fore rem Batavam velut augurio monſtraret: eo res quippè Romanas præcipitatas, ut, ſi Victor modo inſtaret, caſum omnia & extrema minitarentur. Sibi verò integram adeſſe militiam, peditum ſcilicet equitumque intrepidam manum, quæ non ſenio fracta aut ſocordia, ſed eos ubique animos geſtaret, quales aut Majorum Virtus, aut deſiderium Libertatis efflagitaret; futura adhæc in exteris, ſi ſua deficiant, ſubſidia: Germanos præſertim, ut cognatione ſanguinis junctos, ita cauſæ vindices futuros & adjutores. Gallos quoque à triſti ſervitio anhelare communem libertatem, &, ſi quid Romani ſan-

guinis reliquum, belli potius ſpectatores eas ſe præſtituras, quàm ut adverſis armìs eos frangerent, ſive Patriæ ſtudio, ſive quod Veſpaſiano omnia turbanti, ut cumque alea ceciderit, belli ancipitem Fortunam eſſent imputaturi. Itaque præſenti omnes animo adeſſent, præeuntem modo Civilem ſequerentur, quem, ut Genti hactenus non inglorium nomen, ita Libertatis hodie ſtatorem vindicemque eſſent experturi. Hæc magna voce & pari animo dicentem illum omnium illico clamor & unanimis conſenſus ſecutus eſt, & jurejurando fidelitatis dato, nec Libertatem unquam deſerturos ſeſe, ad arma protinus manuſque ingenti ſtudio ſe recepere. Eadam cauſa adducti (26) Caninefates, in ſociorum mox verba jurant, & Brinione duce, projectæ audaciæ viro, Friſiis accitis, bina Romanorum caſtra ad Rheni ripam capiunt. Horum omnium Princeps dictus Civilis, inſtructis copiis in hoſtem illos ducit, & deficiente ad eum Tungrorum cohorte, rem Romanam ſenſim debilitavit. Claſſem mox cepit hoſtilem navium circiter viginti quatuor, quæ Victoria aſtu majori quam ſanguine parta, ut per ſe illuſtris ita magno deinceps uſui fuit. Nam præter

(26) *Caninefates*] Populi Batavici, origine & Virtute clariſſimi *Cornel: Tacitus*, *'t Lant van Arckel, en de Stadt Gorcum.*

(27) *Sy-*

ter celebre inde nomen quæſitum, Famamque inclytam per Gallias & Germanias latè vulgatam, non ſolum navibus ac armis, quarum rerum fuerant inopes, potiti ſunt, verum etiam una iſtius momenti ope in auxilium venêre vicinæ Germanorum Nationes. Cæterum cum in propinquis Galliis magnum fore præſidium videbatur, ſi cum Batavis unà Romanum nomen ejurâſſent, ſocias earum manus Civilis affectat, &, commemorato quibuſcum tot jam annos miſeriis colluctabantur, quibus ut ſe perditum irent diutiùs ab antiquiſſima Gentis Gloria alienum erat, ad communem Libertatem armis repetundam eos hortatur, ita quod

——————— *Cedit viribus æquum,*
Victaque pugnaci jura ſub enſe jacent.

Nec terreri oportere Junii Vindicis quondam cæpto fatali, qui defectionis autor adverſus Neronis tyrannidem, cum viginti ſuorum millibus infelici commiſſo prælio mortem ſibi, & Galliæ univerſæ exitium penè acceſſiverat; cum æquata utriuſque jam arma meliorem fortunam promitterent. Non jam de Fortunis, non de inani Gloria, ſed vitam, ſed Libertatem in dubium vocari, quam, naturæ beneficio etiam in brutis animantibus natam, turpe fuerit à ſolo homine non ambiri. Ac tametſi ſervitutem patiantur, quibus Libertas

inviſa, qui aliorum Imperiis aſſuevêre, id, quod (27) Syria facit, & Aſia, totuſque Oriens; Gallis tamen, eorum calamitati ſponte ſua ut accedant, abſit, unquam ut animus ſit aut voluntas; Virtutem proprium hominis bonum, omnia fortium virorum eſſe. Quæ quidem & ſimilia in vulgus ſparſa fuere à Civili, ut in arma ſua Gentem validiſſimam alliceret: creditusque fuit opibus & potentia florentiſſimam Nationem Imperio fuiſſe adjecturus, ſi non aliunde deſtinato ſibi conſilio ſucceſſus defuiſſet. Poſthæc Batavorum ala, quæ Nummium Lupercum hactenus ſequebatur, ad Civilem deficit, nec popularium cauſæ defuere diu, quæ reliquæ ſub Vitellio, Batavorum ac Caninefacium cohortes; quas cum Principis ſui juſſu tranſitum prohibere conaretur Herennius Gallus, qui tum (28) Bonnam forte obtinebat, illæ, quod ſupplices nequeunt, ferro ſibi viam aperiunt. Herennius quippe ſuperbiâ elatus, dum congredi cum illis armatus & hoſtiliter parat, Batavi acie ordinatâ, ac in unum veluti globum coacti, hoſtem conſtanter excepêre, & collatis ſignis tantam ſtragem intulêre, (quamvis numero

(27) *Syria*] Regio Aſiæ, de quo *Ptolemæus*, *lib:* 5.

(28) *Bonna*] Oppidum ad citeriores Rheni ripas ſitum & Colonienſi urbi proximum, vulgò *Bonne* *Tac:* Veronam aliquando dictam, & Voconiam ſcribit *G: Bruno* in ſuo civitatum volumine.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

mero longe inferiores) ut aliquot eorum millibus miſere trucidatis, reliqui, qui portis recipi præ multitudine non poterant, metu perſequentium Batavorum, aquis ſponte ſe immerſerint, ut foſſa Bonnæ cadaveribus impleretur. Sic Batavi ſociis & ſuo Principi junguntur, quibus ut arcerentur diutiùs, nulla arma aut hoſtes tanti fuêre. Civilis interea præclara facinora per Germaniã univerſam ſecundâ Famâ increbuêre; illum cuncti Cœlum ſuſtulêre, cum illo, datis fidei obſidibus, nobiliſſimi ſocietatem ſtabiliêre, illius arbitrio & juſſu proximos fines Ubiorum (29) Treverorumque depopularunt; alii tranſita Moſa in (30) Menapios, (31) Morinos & extremos Galliarum agros incurſiones fecêre, ac nihil denique omiſere, quod ad Gloriam propagandam, ac Libertatem ſtabiliendam momentum vide-

(29) *Treviri*] *Ptolomæo* populi Galliæ inter Belgas ad Moſellam fluvium, Leucis & Mediomatricibus finitimi.

(30) *Menapii*] Populi ad utramque Rheni ripam habitantes, juxta Nervios, ſed ad mare proximi, qui hodie Geldrenſes, vel ut alii volunt, Juliacenſes vocantur. *Strab: lib:* 4. *Gallicè Gueldres, Cleves & Iuilliers*, quibus Brabantos & Flandros adjecit *Ortelius*. de his *Cæſar & Tacit:*

(31) *Morini*] Populi inter Belgas ad Oceanum Britannicum, Nerviis vicini, quorum oppidum mediterraneum *Ptol:* teſte, fuit Tervanna, etiam hodie nomen retinens. Hi à *Virg: Æn:* 8. *extremi hominum* appellantur. Breviſſimus ab iis, vel ipſo *Cæſare* teſte, in Britanniam eſt trajectus.

debatur. Poſt Ubios proximoſque illos (32) Sunicos occupatos, fugat ſuperatque Tungros reliquos, (33) Betaſios & (34) Nervios ſui juris facit. Quo ſucceſſu rerum feliciſſimo, ut Gloria illi ac majeſtas Batavis accrevit, ita Romana potentia multum debilitata: lugêre illi non tam fortunam ſuam, quam quod Vitellii libidine atque injuriis Batavi fratres & ſocii fidiſſimi ab Imperio deſciviſſent. Ita propter unius libidinem tota

Græcia Barbariæ lento colliſa duello eſt.

Propter unius ambitionem & regnandi cupidinem univerſum civili incendio Romanum conflagravit Imperium. Uſquedum Veſpaſiano ad rerum ſummam evecto, poſtquam victima illis cadaver Vitellii datum Tiberinis aquis abſorptum, ſimul pax populo

(32) *Sunici*] Apud *Tacitum* 4. *Hiſt:* Germaniæ ſunt populi & Sunſi à *Divao*. *Leodius* dicit eos hodie Regiunculam *Kunckerlandi* dictam obtinere, quæ eſt inter Batavos Friſios & Betaſios.

(33) *Betaſii*] Galliæ Belgicæ populi *Plin: lib:*4. *cap:*37. Caninefatibus, Batavis ac Tungris proximi. Ad utramque Moſæ ripam cis Rhenum ſiti fuere, in diœceſi Leodicenſi.

(34) *Nervii*] Populi inter Belgas, qui reliquos ſemper Belgas increpitabant, quòd ſe populo Romano dediſſent, ſe autem neque legatos ad Cæſarem miſſuros, neque ullam pacis conditionem accepturos affirmabant. Tandem periculoſiſſimo bello à Cæſare victi. *Lucan: lib:* I.

——— Nimiumque rebellis
Nervius & cæſi pollutus ſanguine Cotta.

Beccanus Oudenarde interpretatur. *Marlianus* eam urbem eſſe putat, quam Flandri *Doornick* appellant.

pulo & priſca amicitia redierunt. Poſtquam repetita ſocietas & in amicitiam Batavi denuo recepti, varia iterum per eos victoria Romanis quæſita. Horum enim Virtute præcipuè Hieroſolyma ſub Veſpaſiano eſt exciſa; Italia Romanis reddita; Germania in obſequio retenta; Anglia denique, quæ nec ipſum Cæſarem admiſerat, armipotenter Imperio ſubjugata; ita ut ſecuri de ſalute pro Gloria jam certarent. Neque Batavorum neglexit militiam Imperator Trajanus, qui in celeberrimis expeditionibus ſuis equitatu eorum uſus fuit. Poſt eum Hadrianus ad (35) Danubii ripam in exercitu eos habuit. Sub eo quippe Batavi equites, armorum pondere licet graves, (36) Iſtrum tranatârunt, (37) Sarmataſque, rei prodigio obſtupefactos, Imperatori obſequentes fecêre. Poſt hæc tempora non modò nihil imminutum de Gloriâ Gentis, ſed Honoris contrà plurimùm acceſſiſſe Severi, Antonini & Getæ lapides teſtantur & inſcriptiones, quibus non ſocii tantùm & cives Batavi, ſed fratres quoque & amici populi Romani vocantur. Sub Conſtantio verò Im-

(35) *Danubius*] Magnus Europæ fluvius, de quo *Plin: lib: 4. cap:* 2.

(36) *Iſtrus*] Idem quod Danubius.

(37) *Sarmatæ*] Populi in Sarmatia duo diverſi, Tanaide fluvio diviſi, quorum qui Occaſum ſpectant, Europei, qui Ortum, Aſiatici cognominantur.

(38) *Saxo-*

Imperatore mirabile Virtutis ſuæ documentum edidêre ; tum enim Galli, (38) Saxones & (39) Alemanni cum longè latèque vagarentur, ingenti ad (40) Argentoratum commiſſo prælio, ſola Batavorum Virtute, Julianus eos caſtigavit. Eodem imperante Theodoſium ſecuti ſunt, cum rebellantis Britanniæ motus ille compeſceret: ubi Londino expugnato ea Batavi militis Gloria illuxit, ut præfectura illius inſulæ Civili Batavo, ſuffragantibus reliquis, ultro ſit delata. Ac tametſi poſt hæc tempora magnum de iis ſilentium apud annales fuerit, quoniam tamen ad Honorium nomen eorum manſit, certò inde colligimus, reliquos antecedentes Imperatores Batavos quoque milites in exercitu duxiſſe. Cæterùm ab hac ætate ad prima Comitum tempora magnum Hiſtoriæ eſt deliquium ; cùm tamen magna inter bella damnaque Gloriam auxiſſe, & ad Comitum uſque inſtitutionem, ſub Regibus ſuis Ducibuſque, veterem Rempub: traduxiſſe eos non alie-

(38) *Saxones*] Germaniæ ſuperioris accolæ.

(39) *Alemanni*] Populi Germaniæ ab Hercule Alemanno ſic dicti, qui in eos populos habuit Imperium, Autore *Beroſo*. De reliquis *Macrobium* & *Tacitum* vide.

(40) *Argentoratum*] *Ptolomæo*, *Marcellino* & *Sexto Aurelio*. Argentina aliis. Germaniæ urbs eſt ſatis nota, hodie *Straſbourg*. *Rob: Conſtantinus* hanc eandem eſſe putat, quam *Aurelius Victor* Argentariam appellat, & triginta Allemannorum millia à Gratiano Imperatore ibidem cœſa tradit.

(41) *Ca-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

alienum à verò videatur. Tum verò ex ipſis veluti tenebris producta iterum antiqua Gloria fuit, & inclareſcere denuo nomen Batavorum & arma cœpere. Quoties autem ingentes exercitus conſcripſêre Principes, & cum centenis ſæpe expeditorum millibus in hoſtem victores quaqua verſum ivêre, teſtantur monumenta, expeditiones celeberrimæ, & quæ ubique Gentium erecta trophæa. Ita enim ſe decus militiæ in Gente Batavorum habuit, quæ tot ſæculorum duratione æternitatem probat. Ubi nunc illa caput orbis Roma, illa Gentium & populorum Domina? Ubi Græcia, artium omnium & ſcientiarum communis patria? illa, quæ lucem orbi dabat, in luce omnium ſola ſub tenebris ſepulta jacet, & florentiſſimum illud Europæ quondam Imperium, immani Turcarum mancipatum jugo ac voragine velut abſortum, nil niſi indignam ſervitutem & lamentabilem ſui aſpectum à priſca illa Gloria poſteris reliquum fecit. Tu quòque ô Germania, quæ metuenda quondam potentiæ Romanæ, tot Sæculorum continua felicitate uſa fuiſti, illa Gloria, illa Virtus tua quò abiit? quò receſſit? quæ jam buſtum refers & infinitæ calamitatis luctuoſiſſimam imaginem: ſcilicet rapinis jam exhauſta feliciſſima Reſp: tua, & cuncta ferro, flammâ, terrore, luctu & innocentium ſanguine fædata, la-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

crymas movet & commiſerationem Orbi Chriſtiano, tuis ipſius dilaniata Dominis. Batavis interea laborantibus Libertatis Gloria manet, quam ſtupente omni populo, hoſte ringente, armis obtentam & ſanguine, cum Imperio feliciter propagamus. Fuere nobis, nec inficias imus, ſervitutis probra, cùm in terga noſtra, ſæviret Philippus ille Hiſpaniarum Monarcha: ſed poſtquam pœnitere cœpit injuriæ, & cum cauſa animus iterum viriumque fiducia redire, afflicta Reſpub: & ſubjugata ad rerum denuo faſtigia emerſit. Et herculè, debebat illa tantis procellis ad tempus agitari, ut Gloriæ inde major ſeges fieret, notumque foret nec hebeſcere poſſe aciem generoſitatis pietatiſque, quæ quò graviaribus incommodis jactata fuit, eo clarius enituit egregia ejus indoles; dum per tot auguſtias rerum eluctari potuit ad tantam nominis Majeſtatem. Auriacorum hoc fecit Virtus fideſque, quêis majores nulla ſæcula tulêre. Quorum primus Guilielmus Naſſovius, ingens illud Cæli depoſitum, ut prima Libertatis Belgii fundamenta poſuit, ita ſanguine poſtea & cruentâ morte non inultus eam obſignavit. Ejus quippe auſpiciis, poſt exantlatos tot labores & ærumnas, cum Regio ſacramento ſe abdicaſſent Provinciarum Ordines, ad quos & legum & juris ſui ac publici tutela ſpectabat, Belgii pro-

pemo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

pemodum totius jacturâ didicit Philippus, quantum interſit in extrema præcipitaſſe Gentem indole & ſorte ſua liberam. Ubi parva manu & copiis penè, nullis toti exercitus everſi, urbes opere & natura munitiſſimæ aut extortæ invito illi ac ſpectanti, aut per deditionem creſcenti Imperio adjunctæ; quod ut cum Mauritio Principe adoleſcere cæpit, ita ſub eo & magno Frederico Henrico prolati quoque fines, proſpera per prælia, & pulſo Hiſpano ad ultimos mox Garamantes & Indos arma ſimul & comercia navigavere. Et ut in campis olim, ita nunc per maria eorum quoque elucet Gloria. Sic (41) Canarias inſulas (quas fortunatas dicunt veteres) expugnavit Petrus Douſa. (42) Gadas mox Duyvenvoordius devicit. Novam Zemlam alii penetrârunt. Alii ſolis quoque & lunæ aſpectum evagati inferiorum penè ſedes navigiis luſtrarunt. Regia denique ſub ipſam (43) Calpen claſſe deleta, Jacobus

(41) *Canaria*] Inſula in mari Atlantico, fortunatis propinqua; ſic dicta à magnorum Canum, multitudine ingenti. *Plin: lib: 6. cap*: 32. Hodie omnes illæ inſulæ, quas Veteres fortunatas dixere, uno nomine Canariæ dicuntur, quarum nobiliſſima eſt Palina vel Madera, præſtantiſſimo Saccaro, quod Maderanum vocatur inſignis.

(42) *Gades*] Nunc Calix, Hiſpaniæ Beticæ ſeu Gadiræ inſulæ oppidum, quod *Cicero in orat: pro Luc: Corn: Balbo*, itinerum ac laborum Herculis terminum vocat.

(43) *Calpe*] Hiſpaniæ oppidum ad fretum Gaditanum, antiquitus Heraclea dictum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

cobus Heemſkerkius ingenti terrore totam implevit Hiſpaniam, ipſe ex vulnere ſaucius fortiter pro Patria expirans. Cujus memor Petrus Heynius, (ut omittam paſſim expugnatas Arces & validos portus) cum Argonautis Batavis in mari Occiduo, non rapto vellere mendacis Græciæ, ſed captis auriferis navibus, paſſim urbes noſtras complevit Regiâ Gazâ, Rectorum animos novâ fiduciâ, quibus validas mox urbes, Vezaliam Belloq; invictam & Regibus formidoloſam, Majorum noſtrorum antiquam Patriam, Ducis Sylvam, & alias urbes una æſtate expugnarunt. Quos triumphos, quæ trophæa debemus Heyniis ad Occidentem claſſibus, debemus Glorioſiſſimæ & Cælo quidem donatæ animæ, quæ in ſuo Trompio reviviſcere quaſi voluit, ne in Batavis deeſſet ſub quo hoſtium vapularet veſania. Nec amplius Græcorum ſcriptis decantata Scylla aut Charibdis, nec infames Symplegades, & quicquid vel exhorruit vel in majus credidit rudis Antiquitas, illis terrori eſt. Ambiguum quippe animal Batavus, inter ripas natus & Oceanum, ventis nutritus & undis, ad nautica miniſteria tam agilis, ut in prora ſimul eum & in puppi, ſimul in ima & in ſumma navi verſari credas. Navalem Gentis Virtutem ſæpe experta Britannia, quod me tacente vel maria loquuntur & littera, loquuntur opimæ victo-

ris

ris manubiæ & Altis columnis ſuſpenſa ſpolia,

——— *Ereptaque roſtra carinis.*

Ac ut Romani id ſibi magnificum credidêre in Imperio currentem videre utrumque ſolem, ita nobis quoque Glorioſum, quod noſtris claſſibus ſuccubuit Oriens, noſtris appluſtribus ſceptra ſubmittunt Barbari Reges; in Oriente nova gloriamur Batavia, in Occidente nova urbe Auriaca. Cætera verò coram in oculis geſta & in omni Ævo victura trophæa (ſumma brevitatis ſtudio delibaſſe contenti capita) ſilentio & conſulto præterimus.

Sed adeſte nunc, quiſquis

In caſtris natus, Patriis nutritus in armis,

in aperto jam rurſus Oceano, avita Virtute expugnetis (44) Braſiliam, expugnetis Chattam, totamque armis vindicetis Bataviam; jactati jam ſatis avitam Gloriam & magna noſtræ Gentis nomina. Imitamini propoſita vobis hodiè tot Parentum facinora, non unam ſic veſtræ Virtutis oſtentaturi lauream. Non aliud majus Virtutis ſuæ incitamentum habuere magnæ illæ animæ, Miltiades, Epaminondas, Themiſtocles, horror ille Orientis Alexander &

——— *duo fulmina belli*

Scipiadæ.

Non

(44) *Braſilia*] Regio Americæ meridionalis, ſive Peruvianæ, ſaccari ubere proventu maximè nobilis. *Cluverius pag:* 327.

Non alio incitamento noviſſimum Patriæ impenderunt ſpiritum, annalibus in æternum victuri, Codri, Curtii, Decii; Auriaci, Douſæ, Deuvenvoordii, Heemſkerkii, Heynii, Trumpii, Waſſenarii, aliaque Dîs manibus devota capita, quorum Virtutes in ſcriptis velut conſecratas atque in Cælicolum numerum relatas videmus. Quotieſcunque enim magna illa nomina annalibus inſcripta legimus, totidem cippos, totidem ſtatuas & Coloſſos velut arcus triumphales illis erectos cernimus, non in foro Attico vel Romano, non in Capitolio, quæ vix bina ſuperant Sæcula, ſed annalibus, Æviternis rerum monumentis, quibus etiam nunc Miltiades pugnat in campis Marathoniis, Xerxis claſſem profligat Themiſtocles, bella gerit Epaminondas, manum amburit Scævola, Carthaginem delet Scipio, Trojam occupat Achilles &

Ter circum Iliacos raptat nunc Hectora muros.

Quibus ſi vobis, Generoſiſſimi Milites, deſiderium conjungi Heroibus, cum Curtio pro aris & focis, omnia, quæ paſſuri eſtis, intra Gloriam cogitate. Turpiter autem vivit, quiſquis honeſtè neſcit mori. In lectulo extinguatur Philoſophus ignavus quiſque, vos armatos ſtantes mori decet, eos imitari, quorum ambitio Orbe terrarum major eſt, generoſos puto, qui ſuas cogitationes trans Oceanum

num extra ſidera & Solem ac hyperboreas mittunt plagas. Quorum aviditati ſi parem corporis habitum dediſſent Superi, altera manu Orientem contingerent, Occidentem alterâ. Et quamvis non acceperint corpus mortalium majus, Xerxem tamen non capit Aſia, non Cæſarem Italia, non Auriacum Batavia, non Annibalem

——— *Africa, Mauro*
Percuſſa Oceano.

& quod magis mirere,

Uno Pellæo juveni non ſufficit Orbis;

qui, credo, imaginarios quoque Democriti mundos expugnaſſet, ſi fuiſſent. Agite igitur, bellicoſiſſimi juvenes, quamvis nunc auguria nobis atra & inimica portentant omnia, agite inquam, nec multitudinem horreſcite. Illi veſtibus & armis quam maximo cultu adornatis Regem in aciem ſequuntur, qui mare conſtravit claſſibus & Europam ferme univerſam effudit in Bataviam, nullum, niſi in quo vincetur, relinquens ſpatium, Vos globis, Vos gladiis & reliquis bellorum machinis, vindicetis Bataviam. Ne tamen hoſtium Virtutem minorem credite habent recte juvenes egregios, Duces veteranos; ſed hoc ipſo glorioſius certamen erit. Pauciores fateor, ſed Batavi eſtis, non numero, ſed Virtute, non corpore, ſed animo æſtimatur acies. Optimis quæſo au-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

auſpiciis intrate maria, æqua iterum pro cauſa æquum militabit Cœlum,

Et conjurati venient ad claſſica venti.

Nec deerunt ex ſociis auxiliares comites, qui in equum veluti Trojanum una includi velint. Erit alter Douſa inſulas fortunatas expugnaturus novas. Erit alter Deuvenvoordius, magni horror maris Oceani, Herculeas columnas mutaturus in Auriacas. Erit alter Heemſkerkius, Regiis expugnatis claſſibus terrore impleturus Britanniam. Erit alter Heynius, alter Waſſenarius, alter erit Trompius & altera quæ

——————— *Vehet Argo*
Dilectos Heroas.

Alter mittetur Eques Jaſon, non Theſſalus vel Romanus, ſed Batavus, non ad fabuloſos Græcorum Colchos, ſed Britannos, non ad aureum vellus, ſed aureas rapturus Gazas. Alter erit denique Hector non cujus genitor,

Magno Jovi victima cæſus
Sigea,

ſed Delphica premit littora, cujus humeris non decem ſed continuos per annos ſtabit Reſpub: qui victis Batavum cervicibus imponet jugum & aſſuetas ad Sceptra manus curruſque ſequi Naſſovios, ac aurea manibus geſtare cogerit vincula, futura

-Læ-

——————— *Lætis*

Pompa Batavis,

qui nova clade attonitis Regibus æquiores Pacis conditiones extorquebit. Ne tamen erres, ſi inter cæteros Tyro eſt, non armis hic agetur luſoriis ut conſuevisti inter urbana otia, ſed ingentia hæc erunt certamina, atque alta utrinque ingerentur vulnera. Oceanus hic paſſim capiet opima præliorum ſpolia utroque quidem mari Eöo & Occiduo plurima

——————— *Correpta ſub undis*

Scuta virum, galeaſque, & fortia pectora volvet.

Illic per campos fluentem ſpectabis ſanguinem, laceratos artus & truncata membra videbis alibi exciſaque

——————— *Dardana Grajo*

Mœnia ferro.

In qua funeſta rerum facie, inter tot cadentium gemitus, inter tot morientium ſuſpiria, mente, oculis, quæſo, conſiſte & auribus, majore audacia majorem meriturus adoream. In hanc igitur opimam mercedem atque in tantæ ſpem Gloriæ agite pariter Tyro & Veterane, cum Dîs bene juvantibus ut ſuadet ratio, arma capite, non jam de Fortunis, non de inani Gloria agitur; ſed vita, ſed Libertas in dubium vocatur. Vindicate quæſo voſmet, ſi viri ſitis, talionem reddite Barbaris, nulla vobis fuga,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

inter armatos hoſtes undique circumventi, terra marique cum urgent hoſtes

Præſentemque viris intentant omnia mortem.

Armatis manibus Libertas tuenda eſt. Nullam ſperare ſalutem hic vobis una ſalus. Neceſſitas nunc ipſam acuet ignaviam. Quid igitur cunctamini Generoſſiſſimi Milites? Veſtra merita omnis loquetur Poſteritas, omnis cogitabit memoria, veſtramque laudem annalibus ſuis Batavia trahet continuũ. In vos oppreſſa & undique circumventa omnem Libertatis ſpem habet Reſpub: invenietis in noſtra quoque Gente Miltiadem, Epaminondam, Themiſtoclem, quorum auſpiciis profligetur Anglorum Xerxes, ſuccumbet Gallorum Achilles. Sæpè enim

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit abiens jacentem,
Imis permutat brevis hora ſumma.

Vos autem ne indignemini, Veterani Milites, equitum peditumque intrepida manus, quod vos tot laboribus, tot cruentis præliis exhauſtos rurſus in aciem voco. Laborioſam Majoribus præſtitiſtis militiam, multa quoque & bello paſſi, nunc graviora paſſuri. Sed ſperate

-- *Forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.*

Non jam quærelæ hic eſt locus, malus eſt miles qui Imperatorem ſequitur gemens. Vos iterum

iterum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

iterumque oro quæſoque, ut viri ſitis, tanto conſtantiores quanto cladi viciniores. Inviſa (ut ajunt) Imperia quamvis nemo obtinuit diu, arduum tamen cogitate

Eſurienti ex ore LEONI exſculpere prædam.

Agite nunc, Auriacus, in quo Achillem pariter habetis & Neſtorem, hoſtem invadit, conſilio certaturus & manu; Palma in medio poſita eſt; nec veſtra ſcio Virtus ullam amplius patitur moram. Jam buccinæ & cornua canunt,

Jam tuba terribili ſonitu Taratantara dicit.

Proinde veſtrum adferte conſilium, veſtras adferte manus, Magnanimi Milites, quibus

——————— *Integer ævi*
Sanguis adeſt,

pro Aris & Libertate obſtinati vincere vel mori; quod ego vos per patrios lares, per æternam Naſſovii & noſtræ Gentis obteſtor Gloriam. Vindicate nomen Batavum & voſmet & veſtra à Barbarorum ſervitute: quod non poteſtis Pace, vindicetis Bello. AD ARMA, AD ARMA, AD ARMA.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

VIRTUTIS GLORIA COMES.

J. S. F.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

Pio, Inculpato, Erudito,

Magnæ ſpei & erectæ Indolis.

JUVENI,

D. JOHANNI STIPHOUTIO.

TU, qui deſudas illa *Studioſus* arena,
Agmina Doctorum Dux ubi *Phœbus* agit;
Pro lituis, rerum cauſas, ubi ſacra *Sophorum*
Vox ſonat, & ratio cum ratione probat.
Macte tuis, decet, in Caſtris fera caſtra referre,
Et grave fulminei pandere *Martis* opus.
Atque cataphractos, pro Libertate fideque,
Intrepida *Batavos* bella ciere manu.
Scilicet infractam Gentem non ulla fatigant
Prælia; quin ferrum victa inhibere nequit.
Poſtque ſuas clades major magis infremit ore,
Hoſtibus intentans arma necemque *LEO.*
Senſit, adhuc quod plorat *Iber*, ſenſere *Britanni*,
Has *Batavo* pœnas tu quoque *Galle* dabis.
Iſta tuo ingenio, *STIPHOUTI*, digna palæſtra,
Dicendi torrens hinc tibi plenus eat.

GUILIELMUS ab EGMOND

A

NYENBURCH.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

AD EUNDEM.

CArmina, quæ laudes teneant, ſi promere vellem,
Pagina, *STIPHOUTI*, non foret iſta capax.
Magnificum certè eſt inſcribere nomina *Rebus*,
Illa vel æternis inſinuare *Cedris*.
Quantumvis ſileam, comptæ tua Gloria linguæ
Curret in *Eöas Occiduaſque* plagas.

GODARDUS *à* REEDE.

AD EUNDEM.

SIc tuus è tenebris in lucem aſſurgit *Apollo*,
Sic patet in chartis *Suada Venuſque* tuis,
Splendor & eloquii fulget, *Muſæque* loquuntur,
Et *Phœbi* inſtinctu Sceptra Duceſque refers.
Macte animo *Juvenis*, claris inſiſte Trophæis:
Sic tibi poſt *Fatum* fama perennis erit,
Et claros inter Vates celebrabere, Patris
Unica progenies, *Pieridumque* decus.

J. v. M.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

Ingenioſiſſimo & Eximio

JUVENI,

D. JOHANNI STIPHOUTIO.

DUm quatis Pulcher *Ciceronis* arma,
Oris & laxas animoſus œſtum,
Arma *Priſcorum* memorans *Batâvum*
Atque *Triumphos*.

Ducimur cuncti, ſequimurque dulcem
Verba fundentem graviora Linguam,
Sicut inſtructum fidibus canoris
Orphea ſylvæ.

Quid prius dicas ſolitis *Avorum*
Laudibus? fas eſt celebrare fortes,
Qualis & *Gallo* metuende *Princeps*
Stabis in armis.

Naſcitur, creſcit, gravibuſque bellis
Æſtuat, certâ fruiturque Pace
Ilium noſtrum, manet uſque, verba
Te faciente.

Veſtra Virtutis generoſus ardor
Oſſa pervaſit, modò Curre, metam
Certus attinges, Superis amate
Pluribus unus.

Filius *Maiæ* voluit rotundo
Ore facundum, *Dea Flava* doctum,
Carminis gnarum Medicumque tandem
Fecit *Apollo*.

A. DUIRCANT.

A D

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

AD EUNDEM.

AD ARMA, VIRTUTEM PATRUM,
NOSTROS, AVITAM, MILITES
STIPHOUTIUS, BATAVIÆ
DECUS, DISERTUS INCITAT.
QUIS EIA MOMUS INVIDET!
CANENTE TYRTÆO LACON
FUDIT REBELLES PRÆLIO.

QUANTILLUM EST QUOD SCITUR?

AMICVS AMICO.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
229 K 48